

fecundissimas regalis nostra serenitas se inclinat. In ea igitur fidelitatis et dilectionis constancia, qua nos et imperium ferventer hactenus prevenire videbamini, immo amplectabamini studiose, vestra quesumus industria perseveret. Securissimum ad nos habentes respectum, quod pro eo cunctis, que vestris et vestrorum applaudunt affectibus et profectibus expediunt, promovendis et procurandis utiliter efficacissimas operas nostras studebimus applicare et vobis in omnibus incumbentibus articulis et casibus maiestatis nostre presidium favorabiliter impendemus.

45.

Serenitati vestre ad uberes et immensas graciaram assurgimus acciones ex eo et pro eo, quod hiis que nostro et imperii honori proficiunt, adeo intenditis animo diligenti, attente rogantes, quatinus nos in singulis agendis vestris, ubi nos vobis censebitis profuturos, fiducialiter requiratis. Ceterum discretum virum N. super quibusdam negociis nostris vobis familiariter disserendis ad vos destinandum decrevimus, petentes attentius, quatinus verbis suis, que vobis ex parte nostra retulerit, fidem adhibeatis non dubiam tamquam nostris.

51.

Querimoniam gravem dilectarum in Christo dominarum t(alium) recepimus continentem, quod t(alis) ipsas in bonis suis et possessionibus molestat multipliciter et perturbat. Igitur fid(elitati) t(ue) districte precipimus et mandamus, quatinus dictum N. nomine nostro efficaciter moneas et horteris, ut ab earundem iniuriis se refrenet, dampna nichilominus plene resarciens, que eisdem dispendiose dinoscitur pertulisse. Insuper tibi specialiter iniungimus et mandamus, quatinus prefatas sorores contra predictum N. et alios temerarios invasores auctoritate nostra viriliter manuteneas et defendas.

54. Receptio famuli.

Ad universitatis vestre noticiam volumus pervenire, quod nos t(alem), quem constantis fidei decorant merita, prout fidelium nos docuit assercio et regalis nostra serenitas experimentis evidentibus est experta, in nostrum familiarem et famulum libenter et liberaliter recipiendum duximus et habendum, universis vobis et singulis districte mandantes, quatinus ipsum pro nostra et imperii reverencia tamquam familiarem nostrum vobis habentes pro-